



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 60. De traditis mansis in villis Tuischinun et Thurisloun in pago Hessi Franconico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 58.

Tradidit hermenradus presbyter tertiam partem grimoldi de opere salif in *amplithi* (v) et locum casae quae ibi est testef folcrid uuilleri fibert abbic suithard meyndac hrodbern foldet esi.

gubernante Corbeiam Warino.

§. 59.

Tradidit bilif quiddid habuit in *fresienbus* (w) testef eliso banegot redman helmdag ricold reynnuard randuuc. duddic meynric.

§. 60.

Tradidit uuulfhard et odooy in *tuischinum* (x) et in *thurisloun* (y) mansof duos testef *uuymod* uuulfhard odi erp meynold geruuard had.

§. 61.

Saltzthalen, ob splendidissimum palatium *Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis* ad Garamantas usque celebratissimo; arbitrati sumus, villam *Dalbem* in diplomate regis Arnolphi interpretandam esse per *Saltzthalen*. Quia autem nullum vestigium deprehendimus, qua ratione Corbeia nostra salinas in *Dalbem* acquisiuerit, putauimus, inueniri illud in hoc loco nostro, siquidem villa, *Alen* vicina et finitima est villae *Saltzthal*. Argumenta, a vicinia locorum ducta, habemus quidem non semper pro firmis. Fortasse autem anno 834 villa *Aluchi* in pago *Devlingi* maioris momenti erat, quam *Dalbem*, ubi probabiliter eo tempore tantum adhuc exiguae casae erant, ad salem coquendum necessariae. Et quis comprobare poterit, iam anno 834 locum *Dalbem* villam singularem fuisse? Iam autem a potiori fit denominatio, ut in scholis philosophi loquuntur. Dolemus, quod in Traditionibus nostris non annotatum fuit, quis ille *Grimoldus* fuerit, cuius femina possedit hanc tertiam partem ex isto salis opere. Fortassis *Grimoldi* vxor erat filia ducis Ostfalarum *Hessi*, et mater *Abbiconis* seu *Abbonis*. Coniectura augurati sumus infra §. 188, hunc *Abbonem* fuisse filium *Albionis* seu *Abbonis principis*, tempore Caroli M. celebratissimi. Si hoc tibi non placet, sique dicis, Chronologiam repugnare, quo minus *Abbic* statui queat filius *Albionis*, non repugnamus, si maius statuere, *Abbiconem* eiusque fratres l. c. nominatos, fuisse nepotes principis *Albionis*. Speramus enim, neminem esse negaturum, originem serenissimorum principum ac comitum *de Anhalt, Walbeck* et *Supplinburg*, loco laudato a nobis ostensam, esse verisimilem, immo inter omnes haecenus prolatas opiniones probabilissimam. At hoc praefiscini.

- (v) Villam *Amplithi* existisse in pago *Guddingo*, docuit nos abbas Saracho in suo *Registro*. Intelligi vicum *Empelde* in ducatu Calenbergico, diximus iam supra §. 7. not. (n) Bona in hac villa habuit *Grimoldus* ex hereditate ducis Ostfalarum *Hessi*, ut patet e Traditionibus nostris §. 108. Nobilissimum ergo fuisse illum dominum, nemo negare poterit. Colligimus autem e donis, quae tam in villa *Amplithi*, quam in villa *Aluchi*, tradita sunt abbacie nostrae, has et sequentes Traditiones promulgatas esse post annum 834. Exstat enim autographum diploma Caesaris *Hludouici* in tabulario Corbeiensis, ex quo clarissime apparet, *Warinum* abbatem anno 834 coram throno caesareo questum esse, suo deesse monasterio locum, ubi sal fieret ad cibos monachorum in nostro canobio degentium saliendo. *Warinus* ergo rogauit serenitatem caesaream, ut de loco cuiusmodi prouideret imperator, ubi sal fieri posset. Precibus Caesar admit. Hoc expetere abbas *Warinus* non potuisset, si iam eo tempore abbatia nostra salinas in *Amplithi* atque *Aluchi* habuisset. Indicio est ergo illud diploma caesareum, haec esse tradita post VI. Id. Iunii anni 834.

De villa Amplithi.

- (w) Villa *Fresienbus* erat, Sarachone teste, in pago *Nitbega*, et in *Angaria occidentali*. Verisimillimum ergo esse intelligitur, vicum *Froubusen*, in Paderbornensis episcopatus terris situm designari.

De villa Fresienhus.

- (x) (y) Villae *Tuischinum* et *Thurisiloun* tribuuntur a Sarachone l. c. pago *Hessi Franco-nico*. De hoc pago egimus iam supra §. 33. not. (v), ubi diximus, cum situm

De villis Tuischinum et Thurisiloun.